



SALA STAMPA DELLA SANTA SEDE **BOLLETTINO**

HOLY SEE PRESS OFFICE BUREAU DE PRESSE DU SAINT-SIÈGE PRESSEAMT DES HEILIGEN STUHL
OFICINA DE PRENSA DE LA SANTA SEDE SALA DE IMPRENSA DA SANTA SÉ
BIURO PRASOWE STOLICY APOSTOLSKIEJ دار الصحافة التابعة للكرسي الرسولي

N. 0475

Giovedì 30.09.2004

LETTERA DEL SANTO PADRE AL LEGATO PONTIFICIO AL 48° CONGRESSO EUCARISTICO INTERNAZIONALE (GUADALAJARA, MESSICO, 10-17 OTTOBRE 2004)

LETTERA DEL SANTO PADRE AL LEGATO PONTIFICIO AL 48° CONGRESSO EUCARISTICO INTERNAZIONALE (GUADALAJARA, MESSICO, 10-17 OTTOBRE 2004)

In data 3 luglio 2004, il Santo Padre ha nominato l'Em.mo Card. Jozef Tomko, Presidente del Pontificio Comitato per i Congressi Eucaristici, Suo Legato Pontificio alle celebrazioni conclusive del 48° Congresso Eucaristico Internazionale, in programma a Guadalajara dal 10 al 17 ottobre 2004.

Il Legato Pontificio sarà accompagnato da una Missione composta da:

- Mons. Leopoldo González González, dell'Arcidiocesi di Guadalajara, membro del Consiglio Direttivo dell'Università *Valle de Atemajac* di Zapopan (Jalisco);
- Mons. Luis Miguel Muñoz Cárdbaba, Segretario della Nunziatura Apostolica in Messico;
- Rev.do P. Víctor Antonio García D., M.Sp.S., Rettore della Chiesa di S. Filippo a Città del Messico;
- Dott. Cav. Jesús Carlos Camarena Martínez, dell'Arcidiocesi di Guadalajara.

Pubblichiamo di seguito la Lettera del Santo Padre al Legato Pontificio, Em.mo Card. Jozef Tomko:

• LETTERA DEL SANTO PADRE

Venerabili Fratri Nostro

IOSEPHO S.R.E. CARDINALI TOMKO

Praesidi Pontificii Comitatus Eucharisticis

Internationalibus Conventibus provehendis

"Eucharistia, salvifica nempe Iesu praesentia in fidelium communitate eiusque spiritalis alimonia, est pretiosissimus thesaurus quem Ecclesia sua in historiae peregrinatione possidere potest" (*Ecclesia de Eucharistia*, 9). Christifideles enim saeculorum decursu ad hunc divinum thesaurum confugere pergunt, unde veluti e salienti fonte supernarum rerum sitim restringere possint vigoremque inde sumant ad cotidiana officia fortius studiosiusque sustinenda.

Nostra quoque aetate, ad magis magisque roborandam fidem in hoc sacratissimum Mysterium testimonies publicae pietatis non desunt. Sic enim proximo mense Octobri Mexicana in natione, in urbe Guadalaiaara, celebrabitur XLVIII Congressus Eucharisticus Internationalis, cui haud dubie plurimi intererunt Fratres Cardinales et Episcopi, sacerdotes, viri mulieresque vitae consecratae nec non fideles laici, qui ex dissitis quoque mundi regionibus illuc congregabuntur.

Ne vero ulla omnino eiusdem praeclarae celebrationis pars favore Nostro aut consensu careat, neve ipsa quasi praesentia efficax Nostra et vox et maxima auctoritas ulli peculiari eius actui deesse videantur, optata quoque explentes Venerabilis Fratris Nostri, Ioannis S.R.E. Cardinalis Sandoval Iñíguez, Archiepiscopi Guadalaiaariensis, eiusque ecclesialis communitatis, mittere quempiam sacrum Praesulem statuimus, qui personam Nostram illic tueatur.

Quandoquidem Tuam, Venerabilis Frater Noster, cognovimus doctrinae integritatem solidamque percepimus pietatem ac fidelitatem erga hoc fidei nostrae Mysterium cuiusque pastorale perspeximus studium cunctos fideles propius usque adducendi ad tam uberem gratiarum fontem, dum in Te Nostram declaramus benevolentiam, hasce per Litteras Te Legatum Nostrum nominamus et constituimus, ut a die X ad diem XVII proximi mensis Octobris Guadalaiaarae in Mexico sollemnibus illis sacris et omne genus celebrationibus, quae in tanto ecclesiali eventu peragentur, Nostro nomine et auctoritate praesideas.

Nostram ibi significabis salutationem et omnibus adstantibus benevolentiam Nostram ostendes. Cunctos pariter verbo et exemplo ad pleniorum in Eucharisticum Mysterium cultum hortaberis, dum interea Dominum precamur ut eucharisticam fidem, intercedente Beatissima Virgine Guadalupensi quam adeo ardenter illic colitur, in omnium cordibus magis in dies roboret.

Denique Apostolicam Nostram Benedictionem, superni iuvaminis nuntiatricem, Tibi imprimis et per Te cunctis simul huius eventus participibus libenter elargimur.

Ex Aedibus Vaticanis, die VI mensis Augusti, anno MMIV, Pontificatus Nostri vicesimo sexto.

IOANNES PAULUS II

[01208-07.02] [Testo originale: Latino]
